

18)

DEVS MOSIS ET HOMERI
COMPARATVS

EXERCITATIO PHILOLOGICO-HISTORICA

Q V A M

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE

A. D. XIV. AVGVSTI MDCCXCIX

DEFENDENT

IOANNES DANIEL SCHVLZE

LL. AA. M. ET PHILOS. DOCT.

ET

HENRICVS THEOPHILVS TZSCHIRNER

MITWEDDA - MISNICVS.



L I P S I A E

IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.

1799.

Sächsische

31 8°

5030

Landesbibl.

DEVS MOSES ET HOMINUM

COMPARATAVS

TOVA

EXTRACTVM IN HOC LIBRO HISTORIA

1749

AVTENTICA

AVTENTICA

A. D. MDCCLXXXIX

TOVA

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

1957 IV e 2320

VIRO MAGNIFICO

A C S V M M E V E N E R A B I L I

IOANNI GEORGIO ECCIO

POETICES PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO COL-
LEGGI MAIORIS PRINCIPVM COLLEGIATO NATIO-
NIS BAVARICAE SENIORI

PATRONO IN PRIMIS COLENDO

HAS PRIMITIAS ACADEMICAS

SACRAS

ESSE VOLVIT

A V C T O R.

VIRI MAGNIFICI

AC SVB MURIS AUREIS

IOANNI GEORGIO ECCIO

POETICE PROFERENDI SPECTOSI ORDINARIO ECC
ACGI MAIORIS THURINIAE UNIVERSITATIS

PATRONO IN THIMIS COLLATO

HAB PRINCEPS AUREUS

1713

AVT O M

Nostra aetate quum multi essent, qui V. T. literas philosophiae antiquissimae exemplum et fontem, quam agendi sentiendique et de rebus divinis statuendi perpetuam omnibusque omnium temporum hominibus scriptam normam, haberi mallent: etsi, minui ita librorum illorum auctoritatem, vix negare aliquis poterat: tamen, quod ita plurima, quae olim lectorum sensum offenderant, mitigari, alia Deo plane indigna habita excusari posse videbantur, facile sententia ista multorum tulit suffragia. Quam quidem recte sese habere, ut dubitari possit: certe comparare monumenta illa Iudaeorum cum aliis, quos aetas tulit, aliorum populorum libris vetustis tum per naturam ipsorum licet, tum iuvat et expedit. Cogitantibus igitur nobis et de disputationis, quam eruditorum iudicio traderemus, argumento, et de quaestionis, quam commemoravi, ratione, non alienum videbatur, Deum, qualem et in Homeri et in Mosis monumentis, quod quidem constat, antiquissimis sentientem agentemque reperimus, contendere et in una quasi tabula repraesentare. Licet enim multi et superioribus seculis et nostro multa, quae ad religionem omnemque civitatem Iudaeorum spectarent,

A

ex gentiliū re sacra et publica illustrari posse monuerint a): tamen, vel quod nemo nobis succurrebat, qui ex instituto Mo- sis et Homeri Deum comparando illustrauerit, vel quod aetas haec nostra quaestionibus de Deo motis imprimis videbatur occupari, argumentum illud legere non dubitauimus. Quae quidem res hoc faciliorem habet excusationem, quod, quum alios eo audaciae progressos esse videremus, ut sacra etiam Christianorum cum gentilibus subinde compararent, b) nos qui-

a) Io. Iensius in lucubrationibus Hesychianis, obseruatis in stilo Ho- meri cet. (Rotterd. 1742.) ait, Homerum vel legisse sacras V. T. tabulas, quatenus illae Homeri aetate prostitissent, vel rerum, in illis traditarum, potissimum illarum stili, non fuisse ignarum, vt qui saepe ad illarum stilum formarit suum, vel alluserit.

Clericus in art. crit. B. I. C. I. δαιμονιον μεσημβριον in versione LXX intpp. Ps. XCI, 6. illustrari posse putat ex Ethnicorum opinione, qui cre- derent, Daemones potissimum meridie esse timendos: quam in rem laudat Callim. h. in lavacr. Pallad. vs. 71. Theocr. Idyll. I, 15. ss. Lucan. l. III. de luco ad Massiliam sito. Addiderim his exemplum Dei Abrahamo καλε- μενω επι της θυρας της σικνης αυτου μεσημβριας, vt LXX. in Gen. 18. a. habent, apparentis.

Edidit Io. Gottl. Drasdo comparationis Mosis et Homeri specimina III. Viteb. 1788. 4.

Huc pertinet etiam Bogani Homerus Ebraizans.

b) Sufficiat commemorasse vnum Clericum, qui in art. critic. P. H. S. I. C. III. Quidam, inquit, praestantes viri potuerunt post mortem, vt puta- bant Ethnici, inter naturas humana praestantiores versari et iis similes fieri: quod non multum abest a Christianorum placitis circa statum piorum animorum post mortem. Idem alio loco, non ita multo post, ait; Arcesi- las Polemonem et Cratetem dicebat esse θεους τινας η λειψανα του χριστου γενοους, vt auctor est Laert. l. IV. §. 12. Indidem, pergit, exponendas Petrus 2. ep. 1, 4. vbi virtute nos dicit κοινωνους γενεσθαι θειας φύσεως. Quod idem paulo supra ait, Hebraeos, quanquam ne hi quidem voce Elohim Deum, quatenus esset perfectissima natura, designassent, tamen θεοπρατε- στερως philosophatos esse Graecis et Romanis, id cum grano salis, quod aiunt, accipiendum esse, exempla infra a nobis allata docebunt.

dem in solis Iudaeis et V. T. haerere constituimus. Quod vero saepius rationem aliorum V. T. locorum, praeter Mosaicos, habuimus, id licere nobis eo magis putabamus, quo certius constaret, quod potissimum ab Herdero c) notatum vidimus, seriores auctores respexisse libros Mosis: ut, quae parua primum et simplex erat, decursu aetatis magis explicata, vatam luminibus aucta, et splendide exornata extaret theologia. Eodem argumento defendi posse existimabamus, si quis futurus esset, qui vituperaret, nos aliis etiam, praeter Homerum, auctoritatibus Graecorum vsos. Scilicet Homerus, non minus quam Moses, expertus est hunc senioris aevi fauorem, ut ex ipsius fontibus sequentium aetatum poetae certatim plura haurirent. d) Sed quoniam versamur in excusando instituto nostro, non alienum videtur, duo alia monere, quae eo pertineant. Quod enim Mosen laudauimus eorum quoque capitum et locorum auctorem, quorum vtrum auctor recte habeatur, in dubitationem vocatum esse constat, id consuetudini receptae et breuitati dicendi dare, quam verbositatis a consilio alienae aut nouitatis studii crimen subire, maluimus. Denique loca Homeri et Mosis, quibus vsi sumus, non ipsa tantum, sed eorum quoque fere singulorum argumenta paucis indicauimus, sperantes, nos gratiam a lectoribus inituros esse, si disputationi iam per se propter rargumentum, quod totum in historia versatur, minus gratae diligentia illa nostra accessisset nonnihil commendationis.

c) in variis locis libri de poeseos Ebraicae genio et indole.

d) Testis huius rei locupletissimus Aelianus vid. in Var. Hist. XIII, 22. ibique intpp.

At vellicat aurem nescio quis et insusurrat: Euge vero, quid agis? Audesne comparare Mosis et Homeri Deum? Adeone expers es vtriusque theologiae, qui nescias, hunc plures et infinitos fere deos, Mosen contra unum modo eumque verum statuisse deum? Audio: sed idem non admodum moror istam obiectionem. Primum enim quamvis dubitari nequeat, principes historiae tum eius, quam vere Moses scripsisse videtur, tum illius, quam scripsisse aut saltem commentariis inseruisse fertur, viros nec nosse nec venerari ullum, praeter verum, Deum: tamen, quum alii et homines et populi, qui in eadem historia non primas quidem, at secundas aut tertias tenent, ab idololatria minime alieni reperirentur, subinde fuit auctori oblata animaduertendae, quae Iehouam inter et alios deos fuerit, necessitudinis coniunctionisque, occasio. Hinc aemulum se aliorum deorum iactat Iehoua Exod. 34, 14., hinc vindictam omnibus Aegyptiorum diis decernit 12, 12., hinc illudens Iudaeis et *εἰδωλευων*, quum vitulum colere coepissent: Hi igitur, inquit, dii vestri sunt, qui ex Aegypto vos dimiserunt? 32, 9. Hinc denique magnitudine et potentia cum reliquis diis Iehouam confert et auctor Deut. 3, 24. 32, 31., et Iethro Ex. 18, 11., et Deus Deorum Iehoua audit Deut. 10, 17. e) Porro quem fugiunt loca, quibus solemni voce Iehoua, sanctum sibi fore et ab omnibus gentibus separatum populum Iudaicum, declarat? V. c. Ex. 19, 6. Deut. 7, 6. 14. f) Nonne haec

Deus
1) tutela-
ris.

e) Hoc nomen deinde saepius, inpr. in Pss., usurpatum est v. c. 156, 2.

f) Quomodo Chaldaeorum sapientia tutelarium numinum notio mutata fuerit, v. Dan. 4, 13. 10, 13. 21. Cfr. etiam 2 Reg. 17, 26—28.

simillima Homericis loca sunt, in quibus singulis et gentibus et urbibus singuli esse dicuntur et tutelares dii? Sic Ilium Iupiter, Argos, Spartam et Mycenae Iuno tuentur et tenent, Iliad. δ, 43. 51. Inter tutelares deos saepe dissidia mota et controuersiae: contra Neptunum Apollo stat, Marti Minerua, Iunoni Diana, Dianae Mercurius, Vulcano Scamander, dii diis repugnant υ, 67-75. Iupiter Troianis, Achillem ornaturus, Neptunus contra Achaeis meditantur victoriam υ, 345. Minerua his, Apollo illis favens, obuiam fiunt rixasque miscent η, 17. 20. 24. Iuno Veneri negotium mandatura, quum ipsa Danaorum, haec Troianorum rebus adesset, dubitat, an morem haec ipsi gestura sit ξ, 192. Neque solum in populis et urbibus, sed etiam in singulis hominibus, sunt, quos singulari Deus praesidio curaque dignetur, integros dico et pios. Noachi fide et constantia praecipue delectatur, Gen. 6, 9. eumque praesentissimo capitis periculo solum eripit 7, 1. Lothum, antiquae pietatis hominem, ruinae urbis subducit 19, 12. Abrahamum cultro filium peremturum ab ausu nefario reuocat 22, 12. g) Amicitiae adeo foedera cum Noacho, 6, 18. 9, 9. Abrahamo 15, 18., aliis, iungit. Quotusquisque, talia legens, non meminit Mineruae, a Menelao, quem mirifice amabat, Pandari sagittas arcantis, Il. δ, 128. aut Achillem, ne ense iam vagina soluto regem perfodiat, Iunonis, ἀμφω ὁμῶς θυμῶ φιλεου-

g) Cfr. possunt ex reliquo V. T. loca haec, Ps. 31, 21. 64, 3. 91, 1. ubi tamen haec res a singulis exemplis magis ad vniuersam notionem est traducta, et variis etiam imaginibus adumbrata, vid. Job. 1; 10. Jes. 5, 5. Ps. 80, 13. 89, 41.

βας τε κηδομενης τε, iussu prohibentis, α, 193-96. aut, quum
 premi Argiuos suos vidisset, pugnae cohibendae causa aduolan-
 tis η, 24-36. Cui non lectus Neptunus, in mediis telis Anti-
 lochum suum undequaque tuens υ, 554., aut ab Heleno Dei-
 phoboque caedem arcens? υ, 783. Quis ignorat Iouem, vnus
 Achillis causa, ne quis Deorum auxilio Danais veniat, seuerè
 edicentem ο, 73., aut a Sarpedone, quem in deliciis habet,
 fatum propulsantem μ, 402., aut Hectorem, spectatae virtutis
 virum, vulnere ab Aiace accepto in genua lapsum erigentem?
 η, 272. *h)* Nec Mercurius suo caret, quem tutetur, cliente,
 Ilioneo, quem etiam pecore diuitiisque ornauerat ζ, 490. Sed
 longum est singula persequi. Vnum addo, quod Agamemnoni
 maximo id crimini vertit Nestor, quod virum, quem ipsi Dii
 2) hospes. voluerint honore affectum, laeserit ι, 110. Hospitio adeo ho-
 minum sibi probatorum Deus vtitur. Certe Abrahamus tres, in
 quibus numen veneratur, excipit hospes Gen. 18, 5., Lothum-
 que duo angeli, Sodomis, mox peritura, vrbe, secum educturi,
 conueniunt, 21, 1. ss *i)* Non aliter Vlysem dii domi suae visunt,
 Odys. α, 102. 119. 125. 136. γ, 1. 34. η, 80. Iupiter ali-
 quando epulatum ad Aethiopes profectus erat cum reliquis diis,
 post duodecimum demum diem in Olympum rediturus Iliad. α,
 423. ss. Sed quum modo *ἐκων αεκοντι γε θυμω* mentionem

h) Apud Aeschylum Jupiter est *οικοφύλαξ ὄσιων ἀνδρῶν*. Nec in Vir-
 gilio rara sunt exempla hominum pugnae subductorum Aen. X, 606., om-
 nisque vnus gratia rerum faciei mutatae, X, 18. IX, 638. Aeneam vero
 nube inuolutum a Venere tuto in urbem ductum nemo ignorat, I, 412. vid.
 etiam IX, 745.

i) Nec a N. T. talis hospitii mentio abest, v. Io. Ev. 6, 23.

fecerim angelorum, age, etiam his in nostram rem utamur. Quum enim Iehoua non aliter iis, atque apud Homerum maiores dii minoribus, in piis hominibus tutandis vtatur adiutoribus: quis non et hac in re Mosis Homerique Deum simillimum dici posse censeat? *l)* Nam Iacobus quidem et interdum occurrentes Gen. 32, 1. et noctu coelo descendentes ascendentesque videt angelos 28, 12. *m)* Agarem ancillam, domo eiectam, in silua cum puero recens nato latentem sitientemque, bono animo esse iubet angelus coelo spectans 21, 17. Iosephus angelo, quaecunque miseriam suam consequuta erant, bona tribuit 48, 16. Ab angelo auctore repetitur migratio Iudaeorum Aegyptiaca, Num. 20, 16. Angelus gladio armatus Balaami, Iudaeis male dicturi, asinam in via cohibet 21, 22. *n)* Omnino quodcun-

3) daem-
num opera
adiutus.

l) De angelologia quae nostris temporibus novata et reficta sunt, sedulo exposuerunt Hezel *im Geist der Philosophie und Sprache der alten Welt* T. I. p. 113—283. Stahl *Skizze über die Stufenweise Vorstellung über die Erscheinung des Jehovah und der Engel*, in Eichhorn. *Bibl.* VII, 151. ss. Adde Henke *Magazin etc.* T. V. St. I. p. 146. ss. et Eichhorn in *Bibl.* T. III. p. 381 ss. Locis supra laudatis addi possunt haec: Ps. 17, 3. 59, 6. 65, 10. 106, 4. Jer. 29, 10. 6, 6. 15, 5. Jes. 27, 1. Ex. 34, 7.

m) Quis est, cui non in mentem veniant ἀγγελοι καταβαινοντες και αναβαινοντες επι του υιου του ανθρωπου? Io. Ev. 1, 52. Nec abhorret locus Math. 4, 11.

n) Similia his aliorum V. T. auctorum loca vid. Jud. 2, 1. 46. 1 Reg. 19, 5. 2 Reg. 19, 35. Hagg. 1, 13. Ps. 34, 8. 78, 49. 91, 11. 1 Sam. 10, 9. 2 Sam. 24, 15. Illud enim seriori demum aetate videtur accidisse, vt omnis Dei vita ex regum splendore effingeretur et pro vario temporis gustu varie pingeretur. Quarum quasi tabularum ductus principes sunt regia dignitas, ministrorum turba stipante, cum solio adamantino et sceptro. Vid. 1 Reg. 22, 19. Jes. 6, 1. 9, 6. 14, 12. 32, 1. 33, 22. 55, 4. Zach. 4, 2. 10. Job. 1, 6. 38, 7. Tob. 12, 15. Ps. 2, 9. 9, 8. 7, 8. 12, 6. 23, 4. 47, 9. 44, 27. 68, 2. 45, 7. 102, 14. 110, 2.

que alicui non opinanti et quasi aliud agenti aut in tempore in mentem venit, id ab angelo profectum esse credebatur. Ut quum Hagar, quae aufugerat, tempestiuum videretur consilium cepisse ad Saram dominam redeundi, angelo id auctor cuidam occurrenti tribuit Gen. 16, 7-10. Pari modo Iacobum dicitur angelus hortatus esse, vt fraudulentum Labanem relinqueret 31. 11. In Homero autem quoties ministrant dii diis et hominibus! Nunc enim Minerua Iunone iubente mittitur, aut vt Troianos contra Achaeos sollicitet Il. δ, 64. 69., aut vt Danaorum miseriam subleuet 9, 350. Nunc, vice versa, Iuno Mineruae ministrat 398., adeo scutica equos impellens ε, 748. et Iouis iussu in Olympum ad deos congregatos Ida abit ο, 53. 78. Neptunus curru Iouis equos soluit 9, 440. Iridis autem ministerio omnes dii saepissime vtuntur ο, 144. cf. γ, 121, ε, 353. 368. 9, 398, σ, 166. ψ, 198. β, 786. Eandem cum Apolline simul delegat Iupiter, illam quidem, vt ex Achiuorum exercitu domum reuocet Neptunum, hunc, vt Hectorem ad pugnam excitet ο, 55. 146. Erinnyes quoque ad nuntios ferendos advocantur ι, 565. Est et Fama (Οσσα) Iouis internuntia atque interpretes β, 94. ^{o)} Haec satis dicta puto de daemonibus hominum iuuandorum causa missis. Adde, homines quoque, praecones maxime, eo munere interdum functos ideoque Διος αγγελους ηδε και ανδρων vocatos esse et Διι Φιλους, vid. α, 334. η, 274. 9, 517. Hinc Talthybius et Eurybates

^{o)} Locum interpretis deorum hominumque seruis occupauit Mercurius v. c. Virg. Aen. 1, 297.

κηρυκε και οτρηρω θεραποντε α, 320, hinc Eumedes κηρυξ
 θειος κ, 315. Omitto perpetuos singulorum deorum comites 4) rex.
 et ministros 5. v. c. χαριτας Iunonis ξ, 267. aut eas, quae Vul-
 cani, claudi Dei, euntis onus sustinent, ancillas σ, 417. p)
 Haec enim ad regiam dignitatem potius, quam ad hominum
 curam auxiliumque pertinent: nam Iouem quidem omnes dii vt
 regem venerantur, praetereunti assurgentes, venienti occur-
 rentes α, 533. Iuno autem ad Iouem itura non aliter, atque
 regina aliqua, sese exornat ξ, 170. Iam vero omnibus, quae
 commemorauī, in summam collectis et recte pensitatis, quid
 obstat, quo minus Mosis Homerique Deus inuicem comparari
 possit: praesertim quum et illud animaduertere liceat, eodem
 fere modo, quo Iupiter, deorum concilio conuocato, de rebus
 humanis deliberat, v. c. η, 443. θ, 51. δ, 14., Iehouam aut
 mirabundum, quid de conatibus hominum sentiat, cum aliis
 quibusdam daemonibus communicare Gen. 11, 5-7., aut de
 hominibus creandis communia consilia capere 1, 26. videri.
 Itaque quum, quantum satis esset, occurrerimus eorum senten-
 tiaē, qui propterea dixerint Mosis Homerique Deum vix esse
 comparandum, quod in illius modo libris Deus κατ'εξοχην, in
 his autem infinita Deorum multitudo commemoretur; nihil
 quenquam morati, telam, quam exorsi sumus, pertexemus.
 Nam quum supra et de auxilio, quod praestare hominibus, sed
 piis illis et recti amantibus, Deus dicitur, et de eorum, quibus

p) Ex hoc numero sunt nymphea, comites Iunonis Virg. Aen. 1, 71.
 et Dianae, aut, quae illi plerumque adsunt, Horae, v. Stat. Theb. II, 239.
 Nec Pallas caret simili comitatu ap. Quint. Cal X, 336.

5) regum
vatumque
et sacerdo-
rum prae-
ses.

ad hanc rem vtitur, ministerio plurima exposuerimus: restat, vt de vno quodam genere hominum, quod, si aliud ullum, in primis gaudere divino praesidio ferebatur, vates puta regesque, non nihil dicendum videatur. Hi enim, familiariter Iehoua vsi, consiliorum illius omnium sunt participes et interpretes: horum commodis diligentissime prospicitur: hi die noctuque diuinitus monentur: hi, quidquid est in iis ingenii, (quamuis leve et exiguum), Deo acceptum iure suo referunt: hi denique precibus vel certissima Dei consilia mutare aut irrita reddere valent. Sed vtriusque auctoris nonnulla afferam exempla. Namque Mosi id maximo honori fuisse narratur, quod cum Iehoua, tanquam cum amico amicus, colloquutus sit Ex. 33, 11., et aliquando per quadraginta integros dies una cum eo fuerit 34, 28. Immo prophetarum, qui vocabantur, proprium hoc Deus esse vult, cum ipso coram loqui et die noctuque ipsius maiestatem oculis usurpare Num. 12, 6. (nam Miriamus et Aaron Mosi hunc honorem inuiderant, vs. 1.) Hinc Balaamus ille sperat, se in itinere a Iehoua, quae dicenda viderentur, edoctum iri 23, 3. ^{q)} Interdum quoque cum rege, Mose, et sacerdote, Eleazare, simul colloquitur Deus, 26, 1. Balaamus, quem dixi, in carmine vatem sese appellat divinorum consiliorum optime gnarum et in somnis a Deo doceri solitum 24, 4. 16. ^{q)} Mosi quidem promiserat Deus, ad Pharaonem de liberandis Indaeis misso, quaecunque dicenda essent, se cum eo communicaturum

^{q)} Cfr. 1 Sam. 8, 6. 21. 14, 37. 6, 1. — Similis loquendi vsus in N. T. tenet Matth. 10, 19. Marc. 13, 11. Luc. 12, 11. 14.

Ex. 3, 10-12. Eidem morienti, doctorem se aliquem eundemque maiorem, excitaturum, et omnibus, quibus opus foret, rebus instituturum, pollicetur Deut. 18, 18. Pharaon ob annam, quam instare audierat, sollicitus quaerit diuina sapientia instructum, quem rei publicae praeficiat, Gen. 41, 38. postremo Iosephum, quod in somnis omnia, quae futura essent, edoctus fuerat divinitus, illi negotio valde idoneum iudicat vs. 39. r) Balaamus quoque vaticinans spiritu Dei afflatus existimabatur Num. 24, 2 ss. Deus quum Israelitas conficere ob *μοσχολατριαν* decreuisset, a Mose admonitus, posse hoc inuidiam Aegyptiorum ipsi concitare, desistit a proposito Ex. 32, 11. Contra Num. 14, 20. eiusdem precibus votisque cedens vindictam pollicetur. Optime Deus vatum auctoritatem vindicat, vbi Abimelechum, quam abstulerat Abrahamo, vxorem reddere iubet, hoc quidem argumento vsus, quod propheta hic, qua plurimum valeat, auctoritate etiam pro eo intercedere Gen. 20, 7., idem contra, vt rex pereat, intercessione efficere facile possit, ibid. Igitur quum Abrahamus pro Abimelecho intercedendum existimasset: statim hunc Deus, quas immiserat, plagis liberat, vs. 17. Non aliter, Mosis precibus obsequutus, poenam Dathanis Abiramique criminibus statutam differt Num. 16, 22. ss. Sequuntur ex Homero exempla regum, vatum sacerdotumque auctoritatis ipso Deo vindice tutae et sanctae. Nam Il. α, 173. Agamemnon ipse significat, se non prohibi-

r) Similiter principes Iudaeorum, qui heroum aetate praecerant, spiritu Iehovae afflati feruntur Iudic. 3, 10. 6, 34. 11, 29. 13, 25. 14, 4. 6, 19. 15, 14. cf. Luc. 4, 1. Hinc dr. per regem regnare Deus Iud. 5, 13.

turum esse Achillem, ne domum, si velit, abeat: esse enim alios, qui ipsum colant, maxime vero Iouem. Nestor, eundem Agamemnonem innuens, nunquam alii cuiquam *σκηπτουχω βασιλει, ὡτε Ζευς κυδος εδωκεν*, parem honorem contigisse ait α, 278. Vlysses irato quoque regi eandem ob causam parendum esse monet β, 196 205. Hector eodem respiciens, victo Agam., dubitat, an vnquam Iupiter regem quenquam tali clade affecerit tanta gloria priuatum ϑ, 236. Diomedes, etiam vituperans regem, fatetur, sceptrum eum honoremque *Διοθεν* sortitum, quanquam virtutem, in qua scilicet summum sit imperium, negatam ei a Ioue esse addit, ι, 37. Nestor autem Agam. eo ipso argumento, quod sceptrum iuraque populorum Iupiter ei in manus tradiderit, hortatur, vt et bene consulat et bene consulentes audiat ι, 98. Sacerdotum sanctitatem vt attingam, legimus, ob Chrysen contumelia affectum grauisimos Apollinem Argiuis dolores immisisse α, 92. ss. Diserte auctor causam, cur eum Apollo precantem citius audierit, addit hanc: *επει μαλα οἱ Φιλος ηεν. α, 218.* 5) Vaticinandi canendique artem Calchas Thestorides omnesque eius similes Apollinis munere callent, α, 86. Ipse equus, Iunonis monitu, Achilli mortem praedicat τ, 416. 420. Alia, quae huc pertinent, exempla sunt Odyss. α, 348. χ, 347. ε, 499 ϑ. 43-45. et 479-81. Neque vero vindex solum et praeses augurum, sed 6) augur. ipse etiam augur esse perhibetur Deus. Nam partim *Φαινομενα*,

5) Cf. Io. Ev. 9, 31. *Εαν τις θεουσεβης η, και το θελημα αυτου ποιει, τρυτου ακουει.*

quae ex naturae ordine et cursu eveniunt, omnia hominibus finem rerum gerendarum aut vitae exitum portendunt, vt fulgur ab Olympio Ioue uibratum II. ν , 242., tonitru, auditi Neleidae senis signum, θ , 377., nives, Iouis irati omina ^{ss)} μ , 280., fulgura, placandae Achillis irae indicia ι , 236., procella nauem sequuta μ , 256, quo prodigio Achaeis animus cadit, Troianis augetur: partim aquilas aliasque alites volatu fausta et infausta significare vates ostendunt et augures. Nam ζ , 247. Iupiter aquilam vnguibus hinnulum gestantem iuxtaque Iovis aram deponentem, precum Agamemnonis auditarum quasi nuntium mittit: μ , 200 Troianae publi murum demoliri et naves comburere gestienti aquila hoc ipso tempore per medias copias sinistrorsum volans dubitationem metumque iniicit: ν , 821. ex aquila forte dextram versus praetervolante Menelaus certa Hectorem nece perituum esse coniicit: β , 307. in Aulide serpens ex imo altari prosiliens ad platanum concitato cursu tendit passerisque pullos ibi latitantes octo cum matre occidit: augurium Graecis contra Troianos ituris, cuius interpretes Calchas extitit certissimus, vs. 322. ss. ^{t)} Omnia denique, quae fors obiiciebat, pro augurio habita, iisque certo confisum. Ipsa ardeola a Minerua, vt videbatur, Vlyssi sociisque forte obiecta, quam propter noctis tenebras conspici non poterat; tamen,

^{ss)} Cfr. Horatii illud: (Od. 1, 2.)
Iam satis terris niuis atque dirae
Grandinis misit pater etc.

^{t)} Sic Rutuli apud Virgilium (Aen. XII, 247.), Iouis alitem cygnum rapientem conspicati, augurium clamore salutant.

strepitu audito, Vlysses, tanquam augurio gausus, preces illico ad Mineruam fecit κ, 274. 277. Euchenori ad bellum proficiscenti pater, vates, mortem praedicit, quae et sequuta est ν, 663. Iupiter sinistra prodigia monstrans Mycenarum cives prohibet, quo minus Tydeo et Polynici, bellum contra Thebas mouentibus, quae petitum venerant, auxilia concedant δ, 381. Tiresias augur signum aliquod Vlyssi interpretatur, quo cognoscat, licere ipsi, labore vltimo exantlato, domum redire ibique manere Odyss. ψ, 273. In tanta auguriorum celebritate profecto mireris, Hectori ea haberi flocci naucique. Quid enim alites, inquit, mihi narratis? Perinde mihi est, sinistrorsum dextrorsumue illae volent: unum est idque hoc nomine vnice dignum augurium, dimicare pro aris focusque Il. μ, 238. 243. Locis, quae hactenus percurrimus, plane non dissimilia in Mosis libris inveniuntur: nam, qui Deo probantur, homines, et sacrificiis oblatis et aliis quibuscunque signis, rebus puta vitae communis, quae forte accidebant, de voluntate Iehouae certiores redduntur. Ita de Abelis Cainique animo constabat Gen. 4, 4 sq. Non dissimili modo arcus Noacho coelestis diluuii nunquam terris redituri signum Deo monente fuit 9, 12. u) Abrahamus re quadam adspectabili de posteritatis uberrimo prouentu

u) In reliquis V. T. libris tonitrua, 1 Sam. 2, 10. Ies. 29, 6. Ps. 18, 9. Sap. 5, 21., fulmina Deut. 32, 41. 1 Sam. 7, 10. 12, 17. grandines Ps. 18, 13. 46, 2. Ies. 28, 17. 32, 19. morbi 1. Reg. 17, 18. imprimis pestes 2 Sam. 25, 17. bestiae Ioel 1, 64. 2, 11. 25. Prov. 30, 27. Neh. 3, 17. 1 Reg. 8, 37. et in his locustae Deut. 28, 38. (cf. Plin. hist. nat. XI, 29. Virg. Ge. IV, 4. 5.) irae divinae significationem habent. De morbis vid. etiam Matth. 9, 2. Io. Ev. 5, 14. 9, 2. Iac. 5, 14. 15.

confirmatur 15, 7-17. Eidem circumcisio tanquam pignus aeternae Iehouam inter et Israelitas amicitiae imperatur 17, 2. 9. Isaaco de sponsa videnda et cognoscenda signo quodam diuinitus posito constat 24, 12. 32. ^{v)} Sed quum et paulo ante dixerimus, Iehouam coram visum esse prophetis, et supra iam hospitii, quo excipere se Deum posse putabant homines illius aetatis, mentionem fecerimus: lubet nunc, quod quasi praegustauimus, vberius id exponere, et omnem, qui celeberrimus est, de theophaniis locum persequi. ^{x)} Primum, quod hic sese nobis obiicit illustrandum, est sedes et domicilium Dei, unde proficiscitur et quo revertitur. Homericorum quidem deorum sedes variae commemorantur, Olympus, e. c. Odyss. ζ, 4. 42. ο, 21., (vnde dii ολυμπια δωματ' εχοντες, α, 18. ο, 115.) coelum Odyss. α, 67. υ, 103. 113. (vnde dii ουρανωνας

7) homi-
nibus ad-
spectabi-
lis.

^{v)} In prophetarum vaticiniis saepius actione quadam symbolica Deus, quid euenturum sit hominibus, significat. Celebris idemque vexatus locus est Ies. 7, 11 — 16. cf. Iudic. 6, 36 — 40. 1 Reg. 18, 38. 2 Paralip. 2, 1.

^{x)} Hic non quaeritur, an eadem motus stationisque, quae inter homines sollemnis est, in Deum cadat ratio. De hac enim re in Homero nemo dubitat. In sacris libris quum esse nobis viderentur, qui de eadem dubitarent, posuimus hic nonnulla huius generis loca. Modo enim adest, modo abest Deus Iud. 6, 15. Thren. 5, 43., iam eminus stat, Ps. 10, 1. iam ad dextram conuersus, Ps. 16, 8. modo urbem subit Hos. 11, 9., modo hominem aliquem praeterit Ex. 12, 12. 23. Am. 5, 17. 7, 8. Mich. 7, 18. Dan. 5, 50. — Nec illud memoria indignum, veteres, nisi praesentis, Dei auxilium nullum cogitare potuisse: id quod vel ex usu φρασεως יהוה יראו satis apparet v. c. Gen. 4, 1. 14, 15. (Confirmat rem Mosis exemplum, qui rogat et obsecrat Deum, vt ipsi appareat, quod signum esse vult certissimi auxilii Ex. 33, 13 sq. 15, 16. 19.) Eodem tamen sensu σιν θεω ap. Xenoph. Cyrop. I. VI. c. 2. §. 10. legitur. Quanquam non praesens semper, sed aliquando coelitus auxilium Deus fert, Iliad. ο, 610.

Il. α, 570. ε, 373-898. επουραιοι ζ, 129. 131. 527. et Iupiter αιθερι ναιων β, 412.) In Odys. λ, 312-315. Olympus coelumque simul commemoratur, ita vt alter ab altero distinguitur. γ) In Mosis libris Iehouae sedes est coelum atque nubes, omnia praeterea loca, vbi pii homines versantur. Certe Iacobo Gen. 28. 16. videbatur eo ipso loco Deus habitare, in quo pernoctabat. Transimus nunc ad varias venientis Dei notas, in quibus recensendis ita versabimur, vt Mosis Homerique loca coniuncta afferamus. Tonitru maxime adesse se significat, Ex. 19. 40, 43. 2) Iliad. θ, 75. 133 igni conspicuus est et

γ) Illud certum, Homerum aut Homeridas a quadam constantiae male seruatae culpa vix liberari posse: quam collectores et critici, qui quiduis in poetae scripta licere sibi putabant, imo rhapsodi ipsi, variis temporibus varia canentes et auditorum delectandorum causa mutantes contraxisse videri possint. Digna est, quae consulatur Aug. Frid. Wilh. Rudolph diss. philologico — mythol. de sede deorum Homericorum domestica. Viteb. 1794. 4. Conferatur et de illa diss. et de ipsa re iudicium acutum in Degen *auserlesene Bibl. für kleine akademische und scholastische Schriften*. T. I. 2 partic. (Altenb. 1796.) pag. 25—30. Eadem montis coelique, diuinae sedis, varietas est in V. T.: nam praesertim in Psalmis dr. Iehoua nonnunquam in monte habitare, v. c. 3, 5. 99. 9. 121, 1. 123, 1. quamuis coelum videtur esse sedes antiquissima.

2) Similia loca sunt Iob. 37, 2. 38, 1. Ez. 43, 2. Io. Ev. 12, 28. Matth. 10, 6. 15, 24. 17, 5. 18, 11. hinc tonitru dr. ipsa dei vox esse Ex. 9, 23. Ier. 10, 13. Ps. 29, 3. Iob. 40, 4. Apocal. 4, 5. 6, 1. 10, 3. Inde haud dubie factum, vt, si quis alius praeter vates et sacerdotes, Deum oculis videret, ille violenta morte corripitur, 1 Sam. 6, 19. Iud. 13, 22. Num. 4, 20. Odys. α, 573. ε, 131. aut saltem occaecari, vid. hymn. in Vener. 188. Spanhem. ad Callim. L. p. 82. et 102. Iehoua ipse neminem posse aspectum ipsius ferre ait, quin moriatur Ex. 33, 20., hinc Mosen iubet a monte Sinaitico arcere populum 19, 21. et ipse populus Mosen solum cum Deo coram loqui vult 20, 19. Aliter tonitrua et fulmina interpretantur, qui Iehouae studiosi sunt et pietati operam dare consueuerunt, vt Rahel parturiens Gen. 16, 13. Alia exempla v. Gen. 32, 30. Ps. 16, 11. 17, 15. 34, 16. 2 Paral. 26, 9.

corusco splendore Ex. 3. Num. 6, 25. Deut. 4, 24. 9, 3. hymn. in Cer. 188. 190. *) nube vehitur Ex. 19, 6. 16, 10. 33, 9. Lev. 16, 2. 40, 36-38. Num. 9, 15. 11, 25. 12, 5. Sic ap. Hom. Apollo Il. 0, 307. et Iupiter in Gargaro monte. aa) Omnis, veniente Deo, natura conturbatur, montes et terra tremunt, magna undique tempestas conflatur Ex. 19. Gen. 3, 8. 15, 11. bb) Iliad. ʋ, 18-30. ξ, 285. ss. Odyss. ʋ, 97. ss. Repente abiens Deus aperta dat praesentiae signa Gen. 17, 22. 35, 13. Il. δ, 75. τ, 350. Odyss. α, 320. γ, 37. κ, 307. 573. ʋ, 62. χ, 239. 297. cc) Nec licet praeterire alia eiusdem rei certissima indicia, vt vocem Dei saepius iam auditam adeoque notam, Gen. 22, 1. Il. 0, 247., β, 182. 793. Odyss. ʋ, 288. dd) oculos igneos et

Matth. 5, 3. 1 Cor. 13, 12. 1 Io. 3, 2. cf. Odyss. π, 161. Il. ʋ, 131. Eodem illud referendum, quod facies Dei nunc pro irae, nunc pro fauoris diuini signo habita est.

*) Vividius haec depicta legas Ps. 50, 3. 97, 3. Ies. 26, 11. 16, 24. 29, 6. 30, 33. 66, 15. Ps. 80, 4. cfr. Virg. Aen. IV, 358. IX, 15. 19. et in N. quoque T. seruata 1 Tim. 6, 16. 2 Thes. 1, 7 ss. 1 Io. ep. 1, 5. Iac. 1, 17.

aa) Cf. Ies. 19, 1. 20, 8. Ps. 18, 11. 104, 3. Ezech. 60, 3. Nah. 1, 5. Virg. Aen. XII, 416.

bb) Cf. Virg. loca Aen. III, 90. VI, 255. X, 633., quorum plura similia collegit Valkenaer. ad Theocr. 2, 38. — Dignae vero memoratu sunt, quae ex Mosaicis harum rerum descriptionibus, pro aetatis modulo simplicibus illis et parum exornatis, prodierunt postea theophaniae splendidissimae Iob. 9, 17. Ps. 114. 83, 16. 18, 19. Ies. 3, 33. 41, 16. 57, 16. Ier. 23, 19. 30, 23. Am. 1, 14. Ez. 13, 11. Iud. 5, 4. 6, 17 — 23. Actor. 16, 25.

cc) Cf. Virg. Aen. IX, 657.

dd) Celebris V. T. locus est 1 Sam. 3, 7 ss. Alia exempla vid. Ovid. Met. III, 609. Virg. Aen. V, 647. I, 402 — 4. Soph. Ai.

Ω φθεγγὲς Ἀθανᾶς, φίλτατης ἐμοὶ θεῶν,
Ὡς εὐμαθὲς σου, καὶ ἀποκτοῦ ἧς, ὁμῶς
Φωνῆμ' ἀκούω.

C

coruscantes Il. γ, 396. Odyss. ν, 288. *ee)* venustumque collum, in primis Veneris Il. γ, 397., incessum denique, nunc agilitate, vt Il. δ, 75. ε, 778. ν, 62. ξ, 228. 284. nunc grauitate insignem. *ff)* Agilitatem quidem quod attinet, iam auolare, vt Iuno a Iouē missa H. ο, 83., iam desilire ex Olympo, vt Thetis α, 532., iam harpae, vt Minerua τ, 350., aut accipitris, vt Thetis, arma Achilli ferens σ, 615., aut stellae, vt aliquo loco Minerua, similes delabi dii deaeque dicuntur. Ex vigore quoque mirabili, quem sentiunt, animique et corporis viribus auctis intelligunt homines, Deum aliquem sibi affuisse Il. ν, 77. 82. Odyss. α, 320. Insignem illum locum, quo Ajax Oileus singula fere, a nobis iam exposita, quibus Deum, Neptunum, secum loqui cognouerit, enarrat, huc transscribere placuit ex Il. ν, 68. ss.

— — τις νωϊ θεων, οί Ολυμπου εχουσι

Μαντειϊ ειδομενος, κελεται παρα νηυσι μαχεσθαι; —

Ου δ' ογε Καλχας εστι, θεοπροπος οιωνιστης.

Ιχνια γαρ μετοπισθε ποδων, ηδε κνημαων

'Ρει' εγνων απιοντος; αριγνωτοι' δε θεοι περ' —

Και δ' εμοι αυτω θυμος ενι στηθεσσι φιλοισι

Μαλλον εφορματα πολεμιζειν ηδε μαχεσθαι,

Μαιμωωσι δ' ενερθε ποδες και χειρες υπερθεν.

ee) Cf. Aen. I, 402. V, 647. Ovid. Met. III, 609. Omnino ignei oculi diuinitatis, nescio cuius, habiti olim indices. vid. Ezech. 1, 27. Dan. X, 6. Apocal. I, 14. Suet. Aug. c. 79.

ff) Grauitatem dico Innonis, v. Virg. Aen. V, 46. 47. VII, 304. 307 — 10. Propert. II, 2. 6. — In V. etiam T. volare Deus quandoque dicitur 2 Sam. 22, 11. Ps. 18, 11. hinc alarum eius saepius iniicitur mentio Ps. 17, 8. 36, 8. 57, 2. 61, 5. 63, 8. 91, 4.

Sed haec hactenus. Quanquam enim minime perfecta numerisque, vt aiunt, omnibus absoluta dici potest nostra, quam instituimus de argumento profecto non contemnendo, disputatio, quum et multa de Deo supremo rerum arbitro, auctore et fonte omnium rerum, bonarum et malarum, inprimis occultarum, earum denique, quae maiestate eius parum dignae videantur, tum de eodem et iudice et belli duce, postremo de theophaniis, quarum rationem omnem his angustiis complecti vix licebat, exponenda superesse videamus, et non pauca eorum, quae exposuimus, nisi lectorum iudiciumque indulgentia sustententur, vix sua vel veritate vel elegantia tenere se et commendare sentiamus: tamen, quoniam curta, quae domi est, supellex non suadere, sed flagitare hoc videtur, chartae parcimus et reliqua alii loco et tempori servamus.

Faded text at the top of the page, likely bleed-through from the reverse side.

THEODORATA

Main body of faded text, appearing to be bleed-through from the reverse side of the page.

Faded text at the bottom of the page, likely bleed-through from the reverse side.

Π Ρ Ο Β Λ Η Μ Α Τ Α.

I.

Quum omnis religionis summa decretis de Deo et de vita futura contineatur, si de his, ut nonnulli censent, non certis, hoc est, ex ipsorum natura ductis argumentis nobis constet, ut praeter sensum quendam communem eundemque occultum, naturaeque nostrae eam conformationem, quae boni, quod dicunt, physici ac moralis coniunctionem postulare videatur, nihil sit, quo de iis persuaderi nobis possit: sequitur ex illorum sententia, si quis virtutem aut prorsus aut certe potissimum decretorum illorum vi permotus amplectendam censeat, illam tum certissimis fundamentis ac rationibus, tum dignitate sua destitui. Qui enim sensu quodam obscuro regi se patitur, is vero, nisi aliunde illi sensui fides visque accesserit, plerumque et se et alios fallit.

II.

Non videtur formulae Kantianae philosophis concedendum, eos, quos ipsi putant, fines menti humanae esse scriptos, ultra quos scilicet sapere velle nefas sit et impium. Quamuis enim certos esse quosdam, intra quos consistere postremo omnem, quaecunque de

rebus, quae sensus humanos superant, instituitur, disputationem oporteat, omnino negari non posse videatur: huic tamen aetati nostrae datum esse, ut, quinam illi sint, definiat, adeoque posterioribus seculis omnem, quam verset, meditandi statuendique materiam praecidat, hoc vero sibi sumere, vide, ne maximas sit arrogantiae.

III.

Si, quod nonnulli existimant, religio vana homines saepe superstitione imbuit, ut, quarum rerum causas ex ipsarum natura unice repetere fas erat, eas ad auctorem omnes Deum referre doceret, et phantasiae potius imagines obiecit et somnia, quam veras mentibus notiones informavit, an propterea plus nocuisse, quam profuisse, humano generi dici potest?

IV.

Exemplum fortasse non contemnendum practicae aut moralis, quam Kantius commendavit, non interpretationis, sed expositionis sacrarum literarum fuerit, si, quae iis insunt de regni Messiani, quae tum sperabatur, felicitate paene aurea, visibus auditorum ita accommodentur, ut uberius de religionis Christianae virtutumque ea, quae non ad futuram demum, sed ad hanc, quam agimus, vitam redundet, felicitate exponatur.

V.

Quamvis ab illa, qua Mosis libri simul cum vetustissimis variorum auctorum fragmentis collecti esse dicuntur, aetate non ea, quae nunc quidem iure postulatur ab his, qui talia conantur, diligentia critica expectari posset: tamen, quum veri simile non videatur,

in tanta, quae tum vigebat, monumentorum sacrorum, quae de Iudaeorum religione et ciuitate exponerent, admiratione et reuerentia, temere consarcinatos fuisse illos libros, non satis caute versantur ii interpretes, qui male collocata et dispersa esse loca nonnulla ante autument; quam omnibus, quae extant, sanae interpretationis auxiliis vsi explicare eadem, aut defendere studuerunt.

VI.

Si statuas, Deum omni aetate prouidisse, vt hominibus scientiae tantum, quantum mens ipsorum capere videretur, contingeret, habet etiam typologia, quam dixerunt veteres, quo defendatur. Cui defensionem non nihil ponderis inde accedit, quod Iudaeorum doctores omnes, etiam Iesus, saepissime imaginum et parabolarum inuolutis, tanquam optimis populares de rebus futuris et iis, quae captum eorum superare viderentur, admonendi rationibus vsi esse reperiuntur.

VII.

Quum veritas ornatu destituta omnino parum placere soleat, tum adolescentum, nisi iucunda vtilibus mixta iis legenda tradas, mature frigent studia. Hinc neque mythologiam, neque poetarum veterum, quorum omnia amoris plena, lectionem a puerili animo abhorrere existimauerim. Quanquam hactenus in nullo libro mythologiam ita tractatam vidimus, vt aetatem illam decet.

VIII.

Rhetorica ars, quae literarum studiosis in scholis tradenda est, non facilius solum, sed etiam utilius, quam Geographia, vide-

tur in cursus, quos dicunt, dispescenda, adeoque a parvis initiis ad summum perfectionis fastigium sensim paullatimque iuvenes adducendi.

IX.

Non male ii videntur existimare, qui, carminum quidquid tentatum a singulis populis aetatum decursu fuit, ad genera quaedam et certas quasi poetarum familias revocandum censent, ut, quo in genere unus quidam reperiretur excelluisse, eum toti imitatorum greges sequerentur. Hoc enim dudum constat de fabulis Aesopicis, Odis Anacreonteis, Idylliis Theocriteis, aliis. Idem Davidicis hymnis accidisse suo interpretes iure vel inde coniecerunt, quod familia cantorum a Samuele condita haud dubie deinceps multos genuerat et formarat vates, similitudine quadam tenoris et argumentorum conspirantes. Idem denique oraculis Iesariae et Ieremiae vatum, partibus nonnullis commentariorum, qui Mosis nomen in fronte gerunt, dialogis, qui dicuntur, Socraticis, aliis argumentis sollemnibus, accidisse videtur.

1. Ex. Lit. Graec. II 366, 44 = 5
 2. Ex. (Ersz) 1 Griech. Lit. (Ersz) II
 a. Bill. Theol. 92

34.89.5030